

Alte Drucke

**THESES THEOLOGICÆ || IN QUIBUS METHO-||DICE
EXPONITUR DOCTRI-||na de exsequutione decreti
providentiæ in || creatione, creaturarum dispositione, ...**

Martini, Matthias

[Herbornæ], 1600

VD16 ZV 31087

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148928

THESES THEOLOGICÆ

74.
IN QUIBUS METHO-
DICE EXPONITUR DOCTRI-
na de exsequutione decreti providentiæ in
creatione, creaturarum dispositione, mundi gu-
bernatione, tum conservatione & pactione fede-
ris naturæ, tum desertione & afflictione: itemque
de operibus, quæ ex illis Dei actionibus verè ex-
sistunt, vel eas tantum in creaturis conse-
quuntur:

Quas,

DEO JUVANTE,

*Præside MATTHIA MARTINIO SS.
Theologia Professore in illustri schola
Herbornensi, publicè defendet*

PETRUS VIGELIUS VALENTINIANUS.

28. Junii.



Typis Christophori Corvini.

c15 156.

THESES THEOLOGICÆ.

Cap. 1.



FACTA Dei in tempore, sunt, quæ ortus sui initium habent, immutabili Dei decreto respondentia, ut ex iis ipsius natura clariùs & perfectiùs intelligeretur.

2 Facta illa sunt operatio quasi transiens & opus manens.

3 Operatio ista est motus ab agentis Dei potentia quasi procedens ad aliquid extra se efficiendum, quod inde pati dicitur.

4 Opus est quod operatione Dei productum extra ipsum existit, suâ sibi ad patiendum & agendum naturâ inditâ; ideoq; in se mutabile est.

C. 2.

5 Facta Dei in tempore respondent providentiæ vel prædestinationi.

6 Providentiæ respondent creatio, cum prima creaturarum dispositio-
ne, & gubernatio.

7 Creatio est operatio, quâ creaturæ principio sunt conditæ. Creatura est opus Dei creantis operatione productum, bonum & finitum loco ac tempore.

8 Dispositio est creaturarum productarum suis locis facta collocatio. Ei respondet situs, qui est creaturæ status in loco.

9 Creaturæ sunt vel incorporeæ tantum, vel corporeæ tantum, vel mixtæ ex corporeâ & incorporeâ.

C. 3.

10 Incorporeæ tantum sunt angeli, creaturæ nimirum visui & tactui non subjectæ, potentes, præditæ intellectu ad cognoscendum, voluntate liberâ ad appetendum, eligendum vel rejiciendum objectum cognitum, immortales, suâ naturâ corporum societate non gaudentes.

11 His in sui creatione Deus indidit legem naturæ, quæ est similitudo quædam naturæ angelicæ cum Deo.

12 Ea est insignis intelligentia, virtus & felicitas.

13 Intelligentia est in intellectu, Dei & factorum ejus notitia.

14 Virtus est in voluntate sincerum studium faciendi Deo placentia & contraria omittendi. Hujus comes est felicitas, status nimirum, in quo Angeli gaudio & gloria fruuntur.

C. 4.

15 Corporeæ tantum creaturæ sunt, quæ sub sensum externum cadunt.

16 Eæque vel tantum sunt, vel simul sunt & vivunt, vel pariter sunt, vivunt & sentiunt.

17 Tantum sunt, quæ inanimatæ, ut massa prima, lux prima, cælum beatorum, stelliferum cum stellis, æreum & aer, aqua, terra: meteora, &c. hoc est, imo terræ hærentia, ut metalla & iis cognata.

C. 5.

18 Quæ simul sunt & vivunt, sunt res anima vegetante præditæ, ideoq; ita naturâ comparatæ, ut nutriri possint, & ex se augeri in omnem dimensionem: ut herbæ, frutices, arbores.

19 Quæ pariter sunt, vivunt & sentiunt, dicuntur animalia bruta. Eaq;
vel aquatilia, ex aquis condita: ut pisces, & reptilia iis cognata: vel terre-
stria, producta ex terra, ut aves, & in terris gradientia vel repentia.

20 Creatura ex corporea & incorporea mista est homo. Homo est cre-
atura quæ præter essentiam, vitam ac sensum, etiam rationis compos est.

21 Ejus partes duæ sunt; corpus humanum, & anima rationalis.

22 Corpus humanum, est pars hominis sub sensus exteriores cadens,
organum facultatum animæ rationalis.

23 Anima, est pars hominis incorporea, intelligens verum, & volens bo-
num, immortalis, corpori humano regendo divinitus inspirata, ejusq; so-
cietate gaudens.

24 Commune adjunctum hominis est imago Dei, quæ est conditio
excellens, in qua homo conditus est, ita ut Deum similitudine aliqua refer-
ret, mutabiliter tamen.

25 Ea est in toto homine, vel partibus ejus.

26 In toto homine erat felicitas, immortalitas ac multiplicis perfectio-
nis atq; operationû Dei, tanquam in compendio, adumbratio: ut, per ani-
mæ essentiam & facultates, depicta est Dei natura spiritualis & unica, atque
hypostaseon trias in ipsa; per intelligentiam in hominibus, summa Dei sa-
pientia; per oculos præscientia, qua omnia videt & novit; per manus, po-
tentia qua omnia operatur; per linguam vis & ratio qua se suamq; faculta-
tem patefacit.

27 In sola anima erat, in intellectu sapientia, qua Deum, ejus volunta-
tem & facta rectè cognoscebat, quæ ipsa est lex naturæ: in voluntate justitia
& sanctitas. Ita liberum arbitrium ante lapsum fuit tantum ad bonum actû:
ad malum verò potentiâ.

28 In solo corpore erat imperatoria majestas, & ordinata ac decora
motio secundum animæ virtutes.

29 Homo discriminatur in Marem & Fœminam.

30 Mas est homo, cujus corpus initio ex humo factum fuit ad officium
paternum.

31 Fœmina est homo, cujus corpus initio ex costa viri structum est in ad-
jumentum mari, in primis verò ad officium maternum.

32 Hactenus creatio & creaturarum dispositio: sequitur gubernatio.

33 Gubernatio est factum Dei in tempore, respondens providentiæ de-
creto, secundum quod Deus res curat & moderatur communiter sine salu-
tis vel exitii speciali respectu.

34 Est verò gubernatio primò ordinaria vel extraordinaria.

35 Ordinaria, quæ fit modo constituto in creatione & ordine naturali
per media.

C. 9. 36 Extraordinaria, quæ fit modo præter aut contra fixum creatione ordinem, vel sine mediis vel contra media.

C. 10. 37 Secundò gubernatio est conservatio & pæctio federis naturæ, vel desertio & afflictio.

38 Conservatio est, quâ Deus efficit ut creaturæ quædam in statu bono mancant.

39 Estq; primò planè benefica, vel cum iudicio conjuncta.

40 Planè benefica est gubernatio, qua Deus facit ut quædam creaturæ sint ab omni malo liberæ. Hanc per se sequitur optima creaturæ conditio.

41 Cum iudicio conjuncta conservatio est, secundum quam fit, ut quædam creaturæ ex bono & malo mixtum statum habeant.

42 Hanc sequitur conditio partim bona, partim misera.

43 Deinde res conservantur vel nudè, ut solitariae subsistant & non propagent ex se alias, ut sunt incorporeæ & quæ tantum sunt: vel ut aliæ ex aliis existant, ut sunt corporeæ, quæ pariter sunt, vivunt ac sentiunt; sic ex plantis plantæ, ex brutis animalibus bruta animalia propagantur.

44 Homo quia est corporeus & incorporeus simul, non uno etiam modo ejus sese habet formatio.

45 Corpus fit ex semine parentum, qui secundum institutionem Dei sacro conjugio debent esse juncti.

46 Conjugium est unius maris & unius fœminæ legitima conjunctio ad mutua vitæ officia & auxilia, in primis ad sobolem inde tanquam ex sacro fonte suscipiendam.

47 Anima à Deo efficitur, & cum corpore organico, ad hominem constituendum, conjungitur.

C. 11.

48 Hæc de conservatione: Pæctio federis naturæ est gubernatio, quâ Deus homini promittit felicitatis continuationem, sub conditione obedientiæ, ex propriis ipsius viribus in creatione datis præstandæ legi naturæ generali, & speciali, de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali; addito etiam sacramento arboris vitæ: contra verò, mortem non obedienti est comminatus.

49 Desertio est gubernatio, quâ Deus quasdam creaturas rationales destituit potenti auxilio, ut in bono statu non perseverent.

50 Hanc desertionem peccatum sequitur, solius creaturæ culpâ, Deo quidem efficiente actionem, cui illud inest, & ordinem, quo incipere, procedere & desinere debeat; vitiositatem verò non efficiente sed permittente, & tum actionem tum vitiositatem sanctè ordinante & regente.

51 Peccatum est creaturæ rationalis à patefacta Dei voluntate discrepantia.

Deser-

- 52 Desertio est lapsus aut antecedens aut consequens. C. 12.
- 53 Lapsus antecedens desertio est, ubi Deus novam gratiam, qua ut possent ita & vellent perseverare, quibusdam creaturis non concedens, arbitrii sui potestati eas reliquit, ut appareret & exploratum foret, quid creatura veloptima sine creatoris singulari gratia valeret.
- 54 Ea desertio est quorundam angelorum & primorum hominum actu, posterorumq; potentia in ipsis existentium.
- 55 Angelorum desertio lapsus antecedens est, qua Deus illos permisit superbae rebellionis, auctore principe, qui Diabolus appellatur.
- 56 Hanc sequutus est lapsus Angelorum, qui est illorum a iustitia & sanctitate naturali ad iniustitiam & impuritatem calumniasq; contra Deum & homines deflexio.
- 57 Desertio primorum hominum & posterorum naturalium in ipsis lapsus antecedens est, quâ Deus illos sivit a Diabolo tentari & seduci.
- 58 Hanc sequutus est hominum primorum actu, & posterorum potentia in ipsis existentium lapsus: qui est defectio illorum a Deo, fraude Diaboli, fructus vetiti esum suadentis, seductorem, atq; ita violatio federis naturæ.
- 59 Desertio lapsus consequens est, quâ Deus gratiam peccato resistendi iis, qui peccarant, in pœnam defectionis subtrahit. C. 13.
- 60 Estque lapsus angelorum & hominum.
- 61 Desertio lapsus angelorum est, qua Deus eos suæ malitiæ permittit, ita ut nullo bono motu ipsos afficiat.
- 62 Hanc sequitur blasphemia diabolica, quæ est perpetua in omnibus contra divinam voluntatem contumacia.
- 63 Desertio hominum est, quâ Deus eos ita pravitati suæ permittit, ut tamen ipsos sæpe bono motu afficiat.
- 64 Estq; ea desertio primorum hominum & naturalis eorum posteritatis.
- 65 Hanc in utrisq; sequitur peccatum post lapsum, in illis quidem actu insipientia & iniustitia: in his verò peccatum originis & actionis.
- 66 Peccatum originis est, quod in natura omnium posterorum Adami secundum naturæ consuetudinem conceptorum ab origine conceptionis inheret.
- 67 Ejus partes sunt defectio & corruptio naturalis.
- 68 Defectio est qua posteri illi in lumbis primorum nostrorum parentum, mandatum Dei in paradiso ipsis datum transgredientes, a Deo ad Diabolum defecerunt.
- 69 Corruptio naturalis est naturæ ad malè agendum propensio.
- 70 Estque stultitia vel nequitia.

71 Stultitia est in intellectu ignorantia rerum ad Dei gloriam & æternam salutem nostram spectantium.

72 Hæc tamen est cum beneficio conjuncta, quatenus relicta adhuc ratio, & aliquod ad vitam degendam lumen.

73 Nequitia est in voluntate virtutum fuga.

74 Et hæc cum aliquo beneficio adhuc conjuncta, quatenus disciplinæ externæ studium ad societatem politicam servandam adhuc in homine naturâ superest, aliqua etiam conscientiæ & famæ cura.

75 Hæc de peccato originis, sequitur actionis.

76 Actionis peccatum est, quod ipsi homines perpetrant, vel committentes interdicta, vel omittentes mandata. Hoc externis declarationibus corporis exseritur, nimirum gestibus, verbis & factis.

77 Communis modus, quo Deus peccatum ordinat, est privatio gratiæ internæ & externæ peccatum reprimentis, vel occasionum per se mediarum oblatio.

78 Privatio gratiæ internæ est modus, quo hominis anima sibi permissa à Deo non afficitur ad bonum, & destituitur bono, quo abusa fuit, ut sponte malè agat quasi effrenis, ita tamen ut Deus illam certis temporis & modis terminis circumscribat.

79 Estque derelictio intellectus & voluntatis.

80 Derelictio intellectus est, qua Deus tradit homines in mentem expertem judicii de rebus cælestibus sive spiritualibus.

81 Derelictio voluntatis est, quâ Deus cupiditates & affectus hominis non frenat, sed iis habenas laxat.

82 Privatio gratiæ externæ est, qua Deus mundi & Satanae tentationibus homines justè tradit & permittit.

83 Occasionum per se mediarum oblatio est modus, quo Deus impiorum sensus internos vel externos movet objectis, quibus illi perversè abutuntur; illisq; aut ordinariis, idq; è naturæ lumine sive institutione sive experientia: aut extraordinariis animorum motibus, dictis vel factis.

84 Peccatum actionis est delictum & blasphemia quorundam reproborum in Spiritum S.

85 Delictum est peccatum quod ita se habet, ut remitti possit & multis remittatur.

86 Blasphemia reproborum quorundam in Spiritum sanctum, est peccatum actionis, quo illi scientes volentes contra Spiritus sancti testimonium in corde suo veritatem cælestem agnitam destinatâ malitiâ abnegant, illiusque confessores hostiliter & perseveranter persequuntur.

87 Hactenus de desertione: sequitur afflictio.

88 Afflictio est ea gubernatio, quæ Deus facit ut mala facientes mala patiantur.

89 Estq; vel lapsorum Angelorum vel hominum.

90 Afflictio angelorum est, quâ omni sensu divinæ gratiæ exclusi inquietâ semper conscientia agitantur, seducendis tamen hominibus nunc sese oblectantes.

91 Afflictio hominum est, quâ vanitati sunt subiecti, licet multis adhuc terrenis commodis & Dei bonis in mundo perfruantur.

92 Affliguntur autem homines tum in se ipsis, tum extra se in mundo hoc inferiore.

93 In se ipsis affliguntur, quum dolori & ignominia ac morti obnoxii sunt, intervallis tamen aliquibus quietis & perturbationis in hoc mundo.

94 Eam afflictionem sequitur sensus pœnæ, quæ est molesta passio.

95 Estque dolor vel ignominia.

96 Dolor est passio injucundi.

97 Ignominia est passio inhonesti.

98 Extra se homines affliguntur in mundo inferiore, quatenus hic corruptioni & confusione est ad tempus subditus.

